



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

III. De eodem erratorum genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

ligi, has Paleas esse additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, in margine primum adscriptas, ac nonnullas fortasse ab ipsomet Gratiano, ut fit, inter componendum aut relegendum: quas deinde librariorum quidam omiserint, quidam in contextu posuerint, interdum conjunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliquo discrimine. Falsam verò esse illorum opinionem qui eas contemnendas putant ex eo constat quòd multa & in Decretalibus & apud vetustiores Gratiano collectores habentur. quod suis locis indicabitur: In meis libris non Protopalea, sed apud Joan. Andreæ qui postea Palea est apud Jaso. Quotapalea Cardinalis, apud Imol. Paucapalea, vel Pocapalea Cardin. apud Card. Alex. Procopaleas.

DE EODEM ERRATORUM genere.

Dialogus tertius.

C. ANTEQUAM cetera dicas quæ mendosa tibi esse videntur, velim scrupulum auferas mihi de his mendis cogitanti. qua de re cum B. egi. sed cum is aliquid mihi dixisse videretur, postea iterum in eandem incidi dubitationem. **A.** Quid tandem illud est? **C.** Quidnam interest Gratianum pro Leandro Leonardum scribere, aut pro Athanasio Anastasium? Nam cum jus pontificium tractetur, id æquè in Leonardo & Anastasio vim suam obtinebit atque in Leandro & Athanasio. **A.** Quid ad hæc B. noster dicebat? **C.** Exemplo ex Symbolo sumpto vim argumenti eludere conabatur. Namque dicebat, Si quis diceret Christum passum

B iij

sub Pontico Pilativo, non sub Pontio Pilato, non convenire in Symbolo fidei creditur cum catholica Ecclesia, nisi eum rusticum fuisse & imperitum Latini sermonis constaret. Atqui in re nihil interfuit Pontius ille an Ponticus diceretur sub quo Christus passus esset. A. Mihi exemplum non displicet. Tu verò quid ad hæc? C. Non mihi videtur Gratianus aliquid habere cum Symbolo commune. A. Quid ita? C. Symbolum formula quædam est à qua cadere ne verbo quidem licet aut syllaba. At Gratiani scripta licet vel tota contemnere. Nisi forte verum est quod aiunt quidam, ab Eugenio tertio fuisse confirmata. A. Malo te illa priora credere quàm hæc. Etenim in illis unum atque alterum vitium est, in his de omnibus agitur. C. Non satis intelligo quid dicas. A. Tu si Leandrum credas Leonardum dici, erras. Sed error hic unus est. Item unus si credas Athanasium alio nomine vocari. At si credas omnia quæ Gratianus scripsit apostolica esse auctoritate confirmata, multiplex hic error erit tuus, & omnia complectetur hoc volumine conscripta. C. Nunc planè intelligo. Sed quo pacto probas non esse confirmata? A. Tu qui ais, redige in memoriam? Vidistine unquam Eugenij confirmationem? C. Minimè gentium. A. Habésne aliquem dicere qui se dicat vidisse aut qui ex ea parte aliquam referat? C. Ne hoc quidem. Sed sunt qui afferant eum confirmasse. A. Sunt etiam qui id negent. C. Age verò,

quid tu dicis ad id quod initio petebam mihi satisfieri? A. Id quod dici solet de his qui glandibus vescuntur inventis frugibus. An si tu puero dederis exscribendam epistulam, quam patri vel fratri tuo mittere velis, ille tibi multa nomina immutaverit, litteras addiderit vel detraxerit, & cum illi iratus fueris, & iterum eam describere coegeris, ille hac ratione utatur, nihil interesse Leander sit an Leonardus, Augustus an Augustinus, cum de re ipsa constet, probabisne quod dicet? C. Minimè verò. A. Idem de librorum mendis dicendum est quod de epistulis. Alij tamen aliis errores præcellunt. Sunt leves aliquot, fateor; sed totum hoc genus emendationis contemnere, inhumanum & à ratione alienum esse arbitror. Sed quid ait B. noster? B. Mihi verò hoc ipsum quod tu ais ita verum esse videtur ut nihil ampliùs te addere velim, sed ad cetera venire Gratiani mendosè scripta. A. Est nobis principio ab inferis excitandus Belisarius, qui cum Gratiano contendat cur ab eo Guilisarius dicatur. Silverius etiam Pont. Max. expostulabit cur Silvester appelletur. Admonuit Demochares hoc ipsum de Silverio, de Belisario Conrius. Illud ab utroque malè editum est, *in palatium Principis*, pro *Pincis*. Anselmus paulò meliùs hæc refert. Hæc ex conciliis accepimus. ¹ Plura errata sunt in illis verbis quaestionis tertiæ causæ XXI. *Quòd autem Clerici secularium negotiorum procuratores esse non valeant auctoritate Carthaginensis Concilij*

B iiij

23. q. 4. c. 30.

Ansel. lib. 12.
c. 8.21. q. 3. c. 1.
c. 2.

primi probatur; in quo Nicolaus Papa Episcopis Castilianis dixisse legitur. *Palea. Pervenit in sanctam synodum &c.* Quis unquam crederet Nicolaum Papam, qui tot seculis vixit posterior omnibus synodis Carthagine habitis, aliquid in prima synodo dixisse? Verba autem quæ *Palea* addidit *a* sunt ex Concilio Chalcedonensi cap. IIII. de quibus Burchardus, *b* Ivo, *c* & Anselmus *d* tractant, & Gratianus distinctione *xxcvi.* extrema. Omnes rectè ex Chalcedonensi Concilio inscripserunt. *C.* Cur igitur Gratianus, vel *Palea*, ex Concilio Carthagenensi, in quo Nicolaus Papa &c. An in Concilio Chalcedonensi Nicolaus Papa interfuit? *A.* Id concilium habitum est sub Leone Papa & Marciano Imperatore. Nicolaus scripsit ad Michaëlem Imperatorem de Ignatij & Photij schismate aliquot postea seculis. Nicolao successit Hadrianus secundus, sub quo synodus octava generalis habita est contra Photium. Chalcedonensis hæc quarta dicta est. *C.* Mendum igitur est in Concilij & Papæ nomine. Quid si Leonem pro Nicolao & Chalcedonensem pro Carthagenensi substituiamus? *A.* Cave feceris. Neque enim Leo in eo Concilio interfuit. Præstat auferre quæcunque *Palea* interposuit. Ea autem sunt illa: *Pervenit in sanctam &c.* usque ad illa: *Credo placere &c.* quæ sunt ex Carthagenensi primo cap. *vi.* & pro illis Nicolaus Papa Episcopis Castilianis scribendum fuit *Nicasius Episcopus Culusitanus.* *C.* Appa-

a Dist. 86. c. ult.

b Burc. li. 2. c. 145.

c Ivo par. 6.

c. 218 decret.

d Anf. lib. 6.

c. 181. in Rom.

21. q. 3. c. 1.
c. 2.

rent vestigia emendationis in margine librorum Democharis & Contij; & bis posita inscriptio ante caput utrumque indicat inscriptionem prioris capitis non esse ad Paleæ verba referendam. A. Confirmantur hæc tum ex Conciliis, tum ex Burchardo & Ivone; quorum alter scribit: *Nicasius Evastitanus Episcopus dixit: Credo &c.* alter *Evarestanus pro Evastitanus.* cetera totidem verbis. ² B. Ex hac emendatione poterit C. noster à sua sententia discedere, cum videat tot vulneribus facile fuisse medicinam adhibitam. C. Ego verò manus libenter do, cum hoc exemplo cognoverim multum interesse scire unde singula capita sumantur, quæ verba Gratiani, quæ Paleæ sint, & quæ aliorum. A. Id ipsum assequi non poteris nisi menda tollas inscriptionum, & nisi cum Conciliis & veteribus collectionibus Gratiani contuleris lucubrationes. Sed cetera persequamur. Joannis Chrysoptomi nomine sæpe librarij sunt abusi pro Joanne octavo in caussa xxvii. his verbis: *Item Joannes Chrysoptomus Rostanno Archiepiscopo. Atho presentium lator &c.* Hanc emendationem Ivonis collatione didicimus. ³ Pro Chromatio sæpe litterarum similitudine ducti Chrysoptomum scripserunt; ut caussa xxi. *Hinc etiam Joannes Chrysoptomus ait: Furamenti hujusmodi &c.* e Scribe: *Chromatius cap. 1 v. in fine in Mattheum.* Et de pæniten. distinct. 1. *Idem Joannes os aureum: Non potest quis gratiam &c.* f Scribe: *Chromat. cap. 1 v. in*

Burch. lib. 2.
c. 150.
Ivo par. 6 c.
223. decr.

27. q. 2 c. 46.
Atho.
Ivo par. 14.
c. 64. decr.

c. 22. q. 5. c. 12.
juramenti.

f De pænit. d.

r. c. 41. non
poteſt. & de
conſecr. d. 4.
c. 4.

g De conſec.
d. d. 4. c. 10.
numquam
aque.

Diſ. 20. c. 1.

h Ivolib. 2.
tit. 11. c. 31.
panor. & par.
4. c. 72. decr.
i Anf. lib. 3.
c. 115.
k Deus ded.
c. 2.
l Cæſar. lib.
2. c. 11.
m 1. q. 1. c. 34.
n 23. q. 3. c. 3.

Matthæum. Hæc etiam verba invenies mendosa, de consecrat. distin. i v. cap. i v. Sic etiam cap. x. ejusd. distinct. itidem mutandum est. g ⁴ Hæc ex in libris Michaëlis Thomæ filij Ilerdensis Episcopi accepi, qui unus ex selectis Romæ viris, atque, ut audio, magna pars ejus belli fuit; idque ex litteris ejusdem accepi. B. Non sine Theseo Petro Ciacone, five Ciaconio, cujus sudoribus atque eruditione magnos progressus fecit, A. Syricius in Cyricum mutatus est distinctione xx. in illis verbis quarti Leonis de corpore canonum: *Et cum illis regula Prasulum Romanorum Silvestri, Cyrici, Innocentij*. Si quis librum ipsum legat, quem Corpus canonum dicimus, videbit eosdem Pontifices à Syricio ad Gregorium juniorem epistulas quasdam & canones conscripsisse. Eodem capite, dum Concilia enumerantur, post vocem Gangrensiū, hæc desiderantur: *Antiochensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum Chalcedonensium*. Hæc meliùs apud Ivonem h & Anselmum i & in libro quem Deus dedit Cardinalis scripsit k & in libro Cæsar Augustano l inveniuntur. ⁵ Ex epistula beati Augustini c l x i v. ad Emeritum duo capita apud Gratianum leguntur, alterum causa prima, m cujus initium est, *Sacramenta*; alterum causa x x i i i. n cujus principium est, *Nostri adversus*. Ad Demetrium, pro ad Emeritum utrobique scriptum est, atque ita scriptum ut nescias libri titulus sit an epistolæ. Videndus Deus dedit cap. ii. ⁶ Non minus erratum est

in illis verbis quæ refert Gratianus dist. xvi.
*o Quinta in Constantinop. contra Theodorum
 Mesochænum, & omnes hæreticos &c. tem-
 poribus Justiniani Principis, Julij Papæ Ro-
 mani, domini Antiocheni, Eutychie Const.
 Vigily pro Julij scribendum rectè notavit
 Demochares tam hoc cap. x. Isidori quàm
 1 x. Bedæ. Neque enim Julius Papa fuit tem-
 poribus Justiniani Imperatoris. Sed & Dom-
 ni pro domini scribendum fuit, p & Mopsue-
 stenum pro Mesochænum, ex Conciliis. Mop-
 suestenum agnovit Contius. 7 Idem Theo-
 dorus Mosophenus appellatur caussa xxiv.
 quæstione secunda extrema his verbis etiam
 apud eundem Contium: q Item Rabanus san-
 ctæ memoriæ Episcopus factus Edissena civita-
 tis, qui in sacerdotibus resplenduit, Theodo-
 rum Mosophenum post mortem in Ecclesia ana-
 thematizavit, Pro Rabanus scribe Rambulas,
 & pro Mosophenum, Mopsuestenum. 8 B.
 Hicne est Theodorus quem laudat Isidorus
 in viris illustribus, & ait ab Acephalis fuisse
 damnatum? A. Negare non possum eun-
 dem esse. Sed existimo Isidorum tunc non
 legisse acta quintæ synodi generalis. Sic
 etiam apud Ivonem parte quarta cap. xxxi.
 decret. de Sozomeni historia dicitur: *Eam
 sedes apostolica suscipere recusat, quando mul-
 ta mentitur, & Theodorum inconsuetè nimium
 laudat. Pro inconsultè scribo Mopsuestia. B. Ve-
 hementer placet. A. Malè autem factum est
 cum pro Concilio Emeritensi concilium apud
 Emerich scripserunt caussa x. quæstione ter-**

o Dist. 16. c.
 10. Prima au-
 tem. p. quin-
 ta.

p Vid. Ivo.
 par. 4. c. 148.
 decr.

q 24. q 2. c.
 ult. p. Item
 Rabanus.

10. q. 3. c. 2.
 p. 1. c. 2.
 p. 1. c. 2.

tia. Ejus Concilij mentionem facit Innocentius tertius lib. II. epist. cxxi registri, & ex eo in decretis ait caput esse cujus initium *Priscis*. Est autem caput XVI. ejusdem Concilij, quod non editum vidi. Et ex eo negatio auferenda est ab editis Gratiani libris; *Cui sua plenissime sufficere non possunt*. Etenim legendum est: *sufficere possunt*. B. Vox *plenissime* aperte ostendit negationem non fuisse scribendam. ⁹ A. Sic alibi pro Epau-nensi Concilio Hipponense scriptum est, Hæc enim est capitis xxx. de consecratione inscriptio: *r Item ex Concilio Hipponensi cap. vi. Altaria si non fuerint lapidea &c.* Scribendum *Epaunense cap. xxvi. & xxvii.* Melius tam Burchardus s quam Ivo t id caput referunt. ¹⁰ Quis etiam ferat quod caussa xv. dicitur? *u Item ex Concilio apud Ephesum habito presente Henrico Rege? Placita secularia &c.* Quis Rex interfuit Ephesi in synodo quæ habita est sub Theodosio minore, si de generali loquimur? Si de alia, quid Henrico cum Epheso? Apud Burchardum x pro voce *Ephesum* est *Erphesfurt.* quæ vox Germanica est. Apud Ivonem y *Erspford.* non sine mendo. B. Memini videre Romæ notas tuas ad Hadrianum sive Engelramum, in quibus de hac emendatione dicebatur; eamque aliis Burchardi z & Ivonis a locis confirmabas. A. Inveni postea in quibusdam chronicorum libris Gallix & Germanix, b ejus loci & Concilij mentionem; item loci tantum in epistulis Zachariæ & Bonifacij martyris. ¹¹ Sed anchoras tollamus.

x *De consec.*
d. 1. c. 30. Al-
taria.
f Burch. libro
3. c. 25.
t Ivo lib. 2.
tit. 4. c. 5. pa-
nor. & par. 3.
c. 30. decr.
u 15. q. 4. c. 2.

x Burch. libro
13. c. 21.
y Ivo par. 4.
c. 53.

z Burch. lib. 11.
c. 77. & lib.
13. c. 27. &
28.
a Ivo d. p. 4.
c. 59. & 60.
& par. 14. c.
125. decr.
b Regino in
add. an. 93
Lamb. an.
935.

ADDITIONES.

IN Gregoriana editione 23. q. 4. c. 30. hanc habet inscriptionem : *Item obiitur illud Silverij Papa ad Amatorem Episcopum.* Et postea : *Guilifarius patricius noster mandavit.* Et in Notis : *In tribus vetustis exemplarib. ex quibus caput hoc restitutum est Silverio, (antea enim tribuebatur Silvestro) legitur Bellifarius. Sed quia est initium capitis, non est mutatum.* In margine est : *Poly. l. 1. tit. 7. Ans. lib. 12. c. 8. & 9.* In eodem capite editum est : *in palatium Pincis. & postea : ante predictam patriciam. & in Notis additur : Sic mutatum est ex ipsa epistola & vita Silverij, ubi hac patricia vocatur Antonina. Antea legebatur : predictum patricium.]*

2 Capitis primi inscriptio 21. q. 3. in Romana editione hæc est : *auctoritate Carthaginensis Concilij primi probatur in quo Nicasius Episcopus Culusitanus dixisse legitur c. 6. Palea. Pervenit in sanctam &c.* In Notis hæc sunt : *Emendata est hæc inscriptio ex ipso Concilio & vetustis Gratiani codicibus, cum antea mendose legeretur : Nicolaus Papa Episcopis Castilianis.]* Pertinet autem hic titulus ad c. *Credo.* proximè post paleam interjectam sequens. In margine est : *In Conc. Chalc. c. 3. sup. di. 86. Pervenit. Burch. l. 2. c. 145. Ivo p. 6. c. 218.* In extremo capite hæc adduntur : *Hic idem canon tertius Concilij Chalcedonensis afferitur sup. dis. 86. c. fin. ex alia versione. Abest autem hæc Palea à collatis exemplaribus, exceptis duobus.* In margine capitis 2. *Credo placere,* hæc sunt : *sup. dis. 54. Magnus. Burch. l. 2. c. 150. Caput ult. dist. 86. ita inscribitur : Vnde in Chalcedon. Concilio c. 3. legitur : Pervenit ad sanctam &c.* In margine est : *Burch. l. 2. c. 145. Ivo p. 6. c. 218.*

3 In eadem Romana editione 27. q. 2. c. 47. est quod ego 46. appello. Ejus capitis inscriptio hæc est : *Item Ioannes octavus Rostanno Archiepiscopo : Atho presentium lator &c.* In Notis est : *Octavus] Sic est restitutum ex plerisque vetustis & Ivone. In vulgatis erat Chrysostomus.* In margine hæc sunt : *Ivo par. 14. c. 64.*

4 Capitis duodecimi 22. q. 5. inscriptio in Gregoriano libro est: *Hinc etiam Chromatius in c. 5. Matthæi. Iuramenti hæc caussa &c.* In Notis hæc sunt: *Chromatius*] *Antea citabatur Chrysostomus. Cui errori occasionem dederat similitudo primarum litterarum.* Proximo capite pro *Idem* est in margine: *Aliàs Item. De pœnit. dist. 1. cap. 41. Non potest* ita inscriptum est: *IDEM.* Significatur autem Joannes os aureum, cujus est caput 40. *Perfecta.* In margine est: *Infrà de consec. dis. 4. Non potest.* At de consecratione dist. 4. c. 4. hanc habet inscriptionem: *Item Ioannes Chrysostomus. Non potest quis &c.* In margine hæc sunt: *fortè Chromatius. & Sent. 4. dist. 12. suprâ de pœnit. dis. 1. Non potest.* Caput verò decimum ejusdem distinctionis quartæ hanc inscriptionem habet: *Item Chromatius in Matthæum c. 6. Nunquam aqua &c.* Et in Notis hæc sunt: *Antea citabatur Chrysostomus, apud quem non est inventum, sed in fragmentis Chromatij.* Et in margine est: *Sent. 4. dist. 3.*

5 Capitis primi distin. 20. in Romana editione verba sunt: *Quibus autem in omnibus ecclesiasticis utimur iudiciis sunt canones Apostolorum, Nicanorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensiùm, Antiochensium, Laodicensium, Constantinop. Ephes. Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthagenensium; & cum illis regula Præsulum Romanorum Silvestri, Syricij, Innocentij &c.* In margine est: *Apud Anselmum & Polycarpum desunt omnia Pontificum nomina.* In Notis hæc sunt: *Indicat canones & regulas ex quibus constat Corpus vel Codex canonum, de quo in præfatione dictum est, quo Romani Pontifices, præsertim in iudiciis utebantur &c.* In admonitione ad lectorem hæc de Codice canonum dicuntur: *In Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum magistra solitos esse conservari Conciliorum canones & Pontificum decreta ceteris Ecclesiis communicari planè compertum est. Atque in usu præcipue videtur fuisse collectio illa quam Nicolaus Papa in c. Si Romanorum. dist. 19. Codicem canonum nominat: in quo continebantur canones & regula illa quæ recensentur à Leone IV. cap. De libello*

dist. 20. Hujus codicis tria manu scripta exemplaria Roma habentur in Vaticana bibliotheca. Extat etiam impressus Moguntia An. Sal. M D X X V. &c.

6 Inscriptio capitis 34. Sacramenta. 1. q. 1. in eodem libro Romano hæc est: *Idem* (Augustin.) *ad Emeritum epist.* 164. Et in margine: *Algerus l. 3. c. 9. Polyc. l. 7. tit. 10.* Similis inscriptio est cap. 3. *Nostris*, 23. q. 3. in cujus margine hæc sunt; *Ivo p. 10. c. 80. Pann. l. 8. c. 26.* Et in Notis dicitur additam esse negationem ex originali & Ivone, & alia esse emendata.

7 Caput 10. dist. 16. cujus initium *Prima autem*, par. *Quinta*, in editione Gregoriana sic habet: *Quinta in Constantinopoli contra Theodorum Mopsuestenum & omnes hereticos &c. temporibus Iustiniani Principis, Vigilij Papa Romani, Domnini Antiocheni, Eutychie Constantinopolitani.* Et in margine est *Aliàs Domni pro Domnini.* Capite nono extremo, cujus initium *Sexta synodus*, hæc verba sunt: *Quinta item Constantinopoli temporibus Vigilij Papa sub Iustiniano Principe contra Theodorum & omnes hereticos.* Et in margine: *Pann. l. 2. c. 111.*

8 Capite ult. 24. q. 2. par. *Rambulas*, hæc verba sunt in Romana editione: *Rambulas sanctæ memoria Episcopus factus Edessena civitatis, qui in sacerdotibus exsplenduit, (al. resplenduit) Theodorum istum Mopsuestenum etiam post mortem in Ecclesia anathematizavit.*

9 Inscriptio capitis secundi *Priscis*, 10. q. 3. in eo libro hæc est: *Item ex Concilio Emeritensi c. 16.* In Notis hæc sunt: *Caput hoc in codicibus Gratiani etiam manu scriptis corruptè citabatur ex Concilio Merech. Est autem in Emeritensi c. 16. cujus Concilij duo exemplaria ad S. D. N. Gregorium XIII. missa sunt. Hujus concilij, & capitis meminit Innocentius tertius in Epistolis Roma impressis lib. 2. epistola Petro Compostellano scripta his verbis: Emeritense verò Concilium authenticum esse multis rationibus astruebas, tum quia cum aliis Conciliis continetur in libro qui Corpus canonum appellatur, quem Alexander Papa per interlocutorem authenticum comprobavit, tum quia*

de ipso Concilio sumptum est caput Priscis quidem
cañonibus, quod continetur in corpore decretorum.]
Et mox: *Sufficere possunt*] *Sublata est negatio qua
erat in vulgatis, quoniam & ab utroque exemplari
Concilij & à vetustis Gratiani codicibus abest. Et hoc
modo magis convenit cum ratione legis.*

10 Capitis 31. *Altaria. de consecrat. dist. 1. in-*
scriptio est in editione Gregoriana: Item ex Concilio
Epaunensi c. 26. & 27. Et in Notis est: Ivocitat, ut
vulgata Gratiani exemplaria, ex Concilio Hypponensi.
Sed ex Burchardo & vetustis Gratiani codicibus resti-
tum est Epaunensi, ex cuius 26. & 27. capitibus con-
fectum est. Et in margine hæc sunt: Burch. l. 3. c. 25.
Ivo par. 3. c. 30 Pann. lib. 2. c. 32. Est autem in hac
distinctione varietas numerorum capitum à nostris
dialogis, quæ oritur ex divisione primi capitis. No-
bis enim non duo capita sunt initium distinctionis
Consecrationem & illa verba Tabernaculum enim &c.
Quod non fugit selectos viros, qui veniam petunt ob
citationes doctorum.

11 Inscriptio capitis secundi 15. q. 4. in eodem li-
bro hæc est: *Item ex Concilio apud Erphesfurt habito*
præsente Rege Henrico. Et in Notis: In vulgatis lege-
batur Ephesum, quasi hoc esset decretum aliquod Con-
cilij Ephesini habito tempore Calestini Papa & Theodo-
sij junioris. Hoc verò est Germanicum Concilium habi-
tum præsente Henrico Rege, prout etiam apud Burchar-
dum & Ivonem dicitur. Et codices Gratiani manu scri-
pti habent quemadmodum est restitutum. In hoc autem
oppido petiit Bonifacius à Zacharia Papa constitui Epis-
copum, & impetravit. Quod apparet ex prima epistola
Bonifacij ad Zachariam & ultima Zacharia ad Boni-
facium. Et in margine hæc sunt: Burch. l. 13. c. 21. l. 10
p. 4. c. 53.

